



Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniae Agrippinae, 1707

Q. 67. An juramentum assertorium essentialiter differat à promissorio,
etiam in ratione juramenti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42515

Secundū. In Invocatorium seu Contestatorium, & in Execratorium seu Imprecatorium. Illud est, quo Deus simpliciter ut testis invocatur: hoc autem, quo non solum vocatur ut testis, sed etiam ut vindicta, cum jurans, se vel alium dilectum, vel aliquid sui aut suorum, subjicit Deo puniendum, si falsum dicat: ut, *Ita me Deus amet, adjuvet; puniat me Deus; faciat DEUS, ut hinc nunquam sanus surgam; nec conjugem, nec liberos vivos hodie intuear; tollat me Deus subitaneā morte; aeternū damner; super animam meam,* &c. In quibus quando falso juratur, an sit conjuncta altera species malitia contra charitatem sui, aut Proximi, Scholastici controvèrtunt: Negat Suar. Val. &c. Quia non solet quis, etiam amico suo tale malum ex animo imprecari, sed potius cogitat Deum non facturum esse. *Vid. Bonac. l. c.*

Tertiū. In Assertorium & Promissorium. Illud est, quo præterita vel præsentia affirmantur aut negantur: hoc autem est, quo aliquid futurum promittitur. Addunt aliqui Comminatorium, ut v.g. *per Deum ego te cædam*, sed hoc referri potest ad promissorium. In Confessione non opus est explicare, utrum per Deum, an Sanctos juraveris, quia est ejusdem speciei malitia, cum jurans semper intendat Deum adducere in testem. *Suar.* *Leß. l. c. Lugo d. 16. n. 286.*

A D D E N D A.

Q. 67. *An Juramentum assertorium essentialiter differat a promissorio, etiam in ratione Juramenti.*

R. *Castrrop. Tr. 14. D. 1. P. 2. N. 7.* dicit probabilius esse, quod differant, quia in assertorio invocatur Deus pure ut testis, in promissorio autem etiam ut fidejusor, id est, ut Deus suam autoritatem præstet pro eo, quod Jurans sit rem executurus:

Alii

Alii cum Cajet. Valent. Suar. hic L. i. c. 9. n. 1. communiter contrarium tenent, eò quod essentia juramenti quæ talis consistat in invocatione divini testimonii, cui accidentale est invocari ad firmam veritatem rei futuræ vel præsentis: *Dicast. d. 2. n. 61.* docet fieri posse juramentum promissorium absque eo, quod Deus vocetur in fidejusforem veritatis implendæ de futuro, potest enim tantum promitti coram ipso tanquam summæ authoritatis Domino, qui novit animum de præsenti, efficiendi in posterum, quod juratur, uti fit, dum quis promittit aliquid coram Rege. Vide dicenda hic n. 305. & p. 2. n. 725.

D U B I U M III.

An & quando sit licitum jurare.

26; **R**esp. Juramentū, si debito modo fiat, licitū est.
 " " Est de Fide. Et quidem est actus Religionis,
 " " ut omnes docent. Tunc autem debito modo
 " " fit, cùm in eo observantur hæc tria: 1. est *Judiciū*, quod exigit, ut cum discretione, prudentia,
 " " consideratione ac reverentia, non sìne necessitate
 " " aut gravi causa fiat. 2. Est *Justitia*, quæ exigit,
 " " ut quod juratur, sit res justa, licita & honesta.
 " " 3. est *Veritas*; ut nimis sit res vera, aut saltem
 " " ex gravi ratione putetur esse vera; ita ut, prout
 " " ex defectu alicujus horum, minor aut major
 " " in Deum injuria aut irreverentia redundare
 " " censetur, ita quóque majus aut minus commit-
 " " tatur peccatum: *Unde resolvitur,*
 " " I. Quoad judicium, si hoc solum defit,
 " " ut plurimūm est veniale tantum, ut si quis
 " " absque necessitate juret, sive ex levitate quadam
 " " animi, sive ex consuetudine, vid. *Sanch. l. 3. c. 6. n. 22.*
 " " *Lef̄s. L. 2. c. 42. n. 17.*